

509.

Z  
1533

NUPTIIS FESTISSIMIS

GLARISSIMI VIRI,

Dn. M. JOACHIMI  
CNAPE\*

Brandenburgensis Marchici, Scholæ Provincialis,  
quæ est stemmatis VVitzlebici, Rectoris  
dignissimi in Rostleben.



*Pudicissima Lectissimaq; Virginis,*

MARIÆ MAGDALENÆ,

*Viri Reverendi, Humanissimi, nec non Doctissimi,*

Dn. PETRI ZINCKEISEN, Pastoris  
Rostlebiensis meritissimi, Filia.

*Celebratis die 25. Januarij. Anno 1629.*

SACRUM.



1918 D 142

ISLEBII, Typis GAUBISCHIANIS.

X 2054929

\*L Knappe, Unterschrift in d. folg. Schrift  
[Val. Lorenzenham]



DR. M. JOACHIM  
C. M. P.  
MAG. M. MAGDALENE

BIBLIOTHECA  
MUNICIPALIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)





**Q**uod geris, inverso geris ordine, SPONSE novelle,  
 Dum jam conjugii vincla subire paras.  
 Vere ineunte tori sociam conjunxit ADAMO  
 JOVA, ubi & in Veneris cuncta feruntur opus.  
 Ast Veneris stimulos sentis, Clarissime KNAPI,  
 Mente fovens sancti gaudia conjugii,  
 Cum rigidus Boreas contristans frigore terram  
 Cœlesti rapidas spargit ab axe nives.  
 Tu magis atq; magis tamen ureris, Optime SPONSE!  
 Hybernò has flammæ non remorante gelu.  
 Ergo DEUS clemens exaudi vota rogantis,  
 O DEUS, à cujus spes mea pendet ope,  
 Pectora, te flammæ agitante, adamata calefiant.  
 Ut caleant semper pectora dicta probe:  
 Et bona multa simul Sponsis largire novellis,  
 Sic mecum laudes pectora grata canent!

*Lubens accinebas*

*Zacharias Brendel Medicina D. & P. P. ac  
 p. s. F. M. in Academiâ Salavâ  
 Patriâ Decanus.*

**R**es est Conjugium, mi Knapi, plena favoris,  
 Digna piis precibus, Consilio, auxilio.  
 Nil prius hoc, nil hoc præstantius ordine, nil hoc  
 Utilius, nil hoc dulcius orbis habet.

A 2

Jure

Jure igitur lætor, Clarissime Sponse, tibiq;  
Gratulor hoc præstans, utile, dulce bonum.

ita docet Sponso  
Amico dilecto

Hieronymus Prætorius Hamburg.  
Phil. Pract. in Sal. P.P.

Ad parentem Sponsæ.

David inquit, Psal. 112. In tenebris lumen exoritur re-  
ctis à misericorde, miseratione & Justo:

**E X E R G A S I A.**

**I**n tenebris densis, nigrâ caligine noctis  
Lucentem stellam sæpe Viator habes.

Quò properans positam valeat contingere metam,

Atq; suam latâ mentem redire domum:

Sic **R E C T I S** densâ cinctis quasi nube malorum,

Spem præter fulget sæpe serena dies.

Hoc est ex Christi miserationis munere, qui vult

In terris Sanctos vivificare suos.

Deprimit, ut relevet, premit, ut solatia præstet,

Enecat, ut rectos vivificare queat:

In tenebris lumen mittit, ne tedia noctis

Durantis frangant tristia corda malis;

Ut fidei robor crescat sperantis in illum,

Et dicat: **N E S C I S F A L L E R E, C H R I S T E, T U O S.**

Pastores furis non raro affligimur omnes,

Qui sequimur strictè jussa verenda **D E I;**

**En**

En Satan mentem turbat, mox plurima turba  
 Circum-nos-nallat mille, proterva, modis,  
 Hic Canis allatrat mordax; mox gutture grannit **Mat. 7.**  
 Porcus, sive rugit voce furente Leo:  
 Aspidis aut illic crudelis lingua venenat, **Psal. 91.**  
 Vel caudâ, blandus Scorpio fronte, ferit: **Ez. 2.**  
 Hâc tentat solo Basiliscus perdere visu,  
 Illâc bacchatur bile nocente Draco.  
 Verùm lux oritur tandem latissima nobis  
 In mediis tenebris, com canit Isaias:  
 Dat Christus fidei vires in pectora nostra,  
 Possimus tantas ut superare feras.  
 Mille vias novit, Pastor, DEUS EVADENDI,  
 Te modo confidas, qui tribularis, ei:  
 Quid trepidas igitur turbatus pectore toto?  
 Crede mihi, VINCES, fidere disce DEO.  
 Idq; tuo exemplo constat, Reverenter habende  
 PETRE, colende Senex, qui gravitate vales:  
 Munere Pastoris multos es functus in annos,  
 Pastoris mala te sustinuisse, veor.  
 Sapius annè tibi Lumen fulsisse fateris  
 De cælo, quo sint nubila pulsa statim?  
 Quid multis? Testantur idem prasentia festa,  
 Qua thalamo irata sunt celebranda tua:  
 Anne putas Lumen divinum calitus esse,  
 Ex se cum genitos eloc at ipse parans?  
 Pono mihi finem, capiant quò Vitzlebiana,  
 Et fratrum spaciom plurima Vota suum.

Sint

Mor




*Sine tibi sponforum connubia lata parenti,*

*Atq; fluant ipsis prospera quæq; precor.*

In solatium & honorem Dn. Petri

Zinckeisen &c. crasso filo contextum

à M. Matthæo Catone,  
Pastore Wiehenfium.



**H**Aud abs re perhibent: Omnis non omnia tellus,  
Fert; ut id exemplo, Sponse novelle, probas.

Brandenburgiacâ poterant Suadela Venusq;

In Patriâ ad licitum tene vocare torum?

Leucoræ Charites socio tua colla capistro

Subdere, sint quamvis, non valere, Catæ.

Virgo cohors Altorfni per-pulcra Lycæi

Tendiculas frustra composuere tibi.

Norica displicuit Galatea; quid ergo? Salanæ

Detinuere virum? nulla levamen habet.

Nil nocuit Philyræ tibi gentis amabile philtrum,

Quam limare caput sat-didicisse puto.

Sat peregrinatum, sat perlustrata virorum

Pulpita doctorum, virgineusq; chorus.

At reperis nusquam proba lenimenta locorum,

Apta fiant morbi quæ medicina tui.

Quare Roslebi quodamas habet unica tellus.

Sive Scholæ fascies, sive tori sociam.

Nobilis ingeminat tibi Roslebiana labores

Multorum applausû, nec sine honore, schola,

Sceptrum Gymnasii moderaris diribitore

Nobile Patrono; laus ea magna viri.

Mox

Mox quoq; connubii - tibi - maltha paratur ad aram  
 Saeratam, dio numine Sponsa datur.  
 Sic quod non habuit tua Patria, quodq; negarunt  
 Leucoris, Altorffum, Norica terra, Jena,  
 Præstat id omne Solum tibi Roslebiense: maritus  
 Rector, vir, Sponsus, œconomusq; clues.  
 Ergò laborandum tibi Roslebiense Lycœum  
 Nocte dieq; creat; semper habes quod agas.  
 Gaudeo de gemino, quem nunc es adeptus honore,  
 Quem Musæ, Charites, Phœbus Apollo ferunt;  
 Et quem præ reliquis hæc luce Hymenæus adauget;  
 Maçte vir, hoc gemino sis in honore bonus.  
 Sis felix Rector, sis Sponsus lætus, & inde  
 Sis bonus Oeconomus, prolifer atq; parens.  
 Auxiliatrices operas tibi spondeo Sponsæ,  
 Inq; domo, inq; toro turris ad instar erit.  
 Turris ad instar erit tua Magdala. nonq; figurâ  
 Therisitem referet, perdere cuncta satum,  
 Hæcè, tuis comitis pro versibus, ecce, repono  
 Rustica! det votis pondus inesse DEUS.

**ANAGRAMMATISMUS.**

**MAGISTER JOACHIMUS CNAPE SCHOLÆ  
 ROSLEBIANÆ RECTOR  
 MADALENA ZINCEISEN PRISTORIS  
 ROSLEBIENSIS FILIA.**

*Hæc*



*Hæc ubi vitæ transplantantur abscisso superfluo  
unico surculo, quæ vocalis unica*

*Proveniet eras*

VITIS PRÆCELSA,

HINC DICO,

HÆC MALLEOLOS ZONATIM  
PROFERET; SINE LABORE;  
SI BENE: SIC SI ARAS! RES  
NISI MAGNA.

*Cæterum Vitis isthæc cum suis ramusculis  
sic se explicat.*

**C**Nape cape, ut VITIS PRÆCELSA ex conjugē fiat;  
HINC DICO (neque enim non-bona vaticinor)  
HÆC tibi MALLEOLOS ZONATIM mense peracto  
Nono cum gemmis PROFERET eximiis.  
Attamen excolier vult non SINE, sponse, LABORE,  
Culturâ vigili SI BENE culta, feret.  
SIC SI gnavus ARAS, RES non NISI MAGNA patefiet,  
Vitis, Trin-uni quæ benedicta Deo.

*ita gratulatur.*

*ita vovet*

M. Christophorus Liebgoe  
Gehofensium Pastor.

*Quando*



**Q**uando suum Tirili - repetet - viri iure alanda,  
 sponse subis thalamum sic moderante DEO.  
 Quod precor, ex animo precor; anser ut inter olores  
 Sim licet, at placant vota minuscula Deum.  
 Vota minuscula DEUS non spernit, grator honori;  
 Conjugio vestro prospera quæq; fluant.

Ambrosius Schnick, Pastor  
 in valle Nauses.



**C**omprecar & Vestris, Rector Clarissime, tædis,  
 Ceu monuit quidam Vir pietate gravis.  
 Hæc ergo adjicio: Cingat Pax optima rerum  
 Conjugium Vestrum, prosperet alma Salus.  
 Omnia sic binis, alii quæ carmine docto,  
 Versibus innumeris quæ cecinere, precor.

Johannes Eichelbrunnerus, Ecclesia Christi,  
 quæ est Volmerstadii Pastor.



LUSUS GAMICUS.

<p><b>D</b>ebetur merito cuiq; Palma        Virens, qui vel in hostium        Cavernis        Egit Marte viriliter Triumphū,        Vel in pro patulo ruit timendos        In hostes, spoliis recuperatis.        Debentur merito cuiq;serta        Phœbi facta manu, virentibusq;        E' lauri foliis retexta, quis quis</p>	<p>Vel pervenit ad eruditionis        Doctrinaq; scopum, vel ad supre-        mas        Scandit laudis in orbe dignitates.        Debetur merito cuiq; prima        Vel vindemia, si quis ut Noabus        Vinetum proprio serit labore;        Frugum primitia vel optima-        rum,</p>
--	--

B Si quis,



Si quis, Numine sis iubere sacro,  
Facit munia rusticationis.

Debetur merito cuiq; frondis  
Honor vel violis, amaracog;  
Vel myrrhō, roseoq; odore spirās,  
Quisquis primitus areas locavit  
Alas, & fodisavit arte sulcos.

Debetur merito cuiq; fetus  
Recens demtus ab arborum la-  
ceris,

Pomosāq; sui laboris vota  
Persolvit prius insitor coronā,  
Qui curā vigili domesticāq;  
Reddit fructus feros locos, novorū  
Nec non germina quaq; surculo-  
rum

Suis aptat & inserit favillis.

Debetur merito suum cuiq;  
Sicut iustitia probans recessus,  
Ut ipso retributionis actu  
Fructū quisq; reportet expetitas,  
Sustentiq; oneris decens reapse  
Lodamen capiat benignitate.

Quid nunc duriculi tui pha-  
leuci?

Dicas, Sponse, miselluli Phaleuci  
Quidē faxo, experiare mox  
Phaleucis:

Binas quisq; vias honore  
dignas

Virtus is superesse novis, hasq;  
Nec Cræsus negat, hic nec obstat  
Irus;

Quis vel Marte potens, vel ar-  
te pollens

Sit, & militia periclitetur  
Vires, si volitare quis per ora  
Vivorum cupit, atq; gloriosum  
Suum nomen ad astra collocare:  
Æquē enim Artis amans nego-  
tiosa

Formā militat, atq; bellicosus  
Mavors, militiaq; poscit equō  
Jure commoda, pramium, coro-  
nam.

Diverso tamen impariq; sumtu:  
Mars citō peritura, corporisq;  
Tantum portat abhinc, suasq;  
ditat, (agros,

Et aurō amplificat domos &  
Extorquevè suos vigore cens<sup>9</sup>:  
At aterna manent ab arte parva  
Cultori Charitum, suis medullis  
Si intimis penitisq; delicatas  
Suādas, Veneresq;, Gratiasq;

Probè infixit, immō laude  
dignum (inde

Virum Musa vetat moveri. Pro-  
Cnape Sponse, decus Sophies  
perenne,

Cnape

Cnape delictumq; mellilinguo,  
 Cnape Pierio novem liquora  
 Deabus ter & amplius rigate!  
 Tuas, cum vegeta futurum  
 mente,  
 Et florentibus optimè sub annis  
 Eras, ingenii beatioris  
 Vires exseruisse militantis  
 Felici stimulo indolis, patefecit.  
 Tuas, cum melioris apparatus  
 Lingua, mentis & ipsius potitus  
 Eras, ingenii licentioris  
 Vires sapius ad graves duelli  
 Laudes colloquio crisiq; acuta,  
 Et ad praelia disputationum  
 Coponenda resuscitasse, constat.  
 Tuas, Numine sic favente  
 summo  
 Dum Reſtoris onus scholæq;  
 sceptræ  
 Noſtræ, & Viszlebicâ celebritate  
 Et Patrociniò vigentis noq;  
 Hic geris vigili, graviq; curâ,  
 Vires ingenii beatioris,  
 Vires ingenii benignioris,  
 Vires ingenii elegantioris,  
 Vires ingenii venustioris,  
 Vires ingenii velociorez,  
 Vires ingenii loquacioris,  
 Vires ingenii expeditiores,

Vires ingenii potentiores,  
 Libertate satis bonâ probasti,  
 Quas & quilibet optimorum  
 abundè  
 Admiratur, & usq; & usq; lau-  
 dat.  
 O vis Pieridum potens va-  
 lensq;!  
 O vires animi nimis potentes!  
 O vires animi nimis valentes!  
 A Musis nimium laborioſis,  
 A Musis nihilum negantibusq;  
 Has tantum liquido potisse patet  
 Impetrare. Tuas quis ergo vires  
 Felicis Genii beatiores  
 Solertis Genii valentiores  
 Velocis Genii expeditiores  
 Viventis Genii potentiores  
 Triumphis, opib; manu paratis,  
 Honoriq; fugacitatis umbra  
 Subjecto neget esse præferendas,  
 Et raram tibi sic ab arte laudem  
 Æternamq; simul parasse famâ?  
 Nec tantum. Horridulis  
 meis Phaleucis  
 Si nunc ulterius jugationis  
 Tuæ perlepidum recordor ausum  
 Reſtor Sponse! novò & seve-  
 riori  
 Duellò tibi jam necesse certes.

B a Nam



Nam binominis est ut ipsa  
Sponsa

Magdalena simul, simul Maria  
Qua Zincke si adum suave ger-  
men

Cultis in Veneris jugis virescit;  
Sic & bis minitatur ominosam  
sponso nominis explicatio-  
nem.

Ferri duritiem quid est ri-  
gore

Quod excedat? acerba quid le-  
poris

Continent, quid & inferunt a-  
moris? (sponsa;

Ergo Ferrea, Dura, Amara,  
Praese nil aliud quam acerbitate  
Praese nil nisi amaritudinem  
Praese nil nisi ferreum sonatum  
Praese nil nisi duritatem habebit!

Eho ferrea, dura, amara sponsa;  
Qua, duracido vales sonore?

Quin sis dulcicido potes amore,  
Quin sis mellifluis valens sapore.

Ignorasne tuam, Gnapi, Ma-  
riam

Illam, floridulamque Magda-  
lenam

Tot jam molliculis diu petitam,  
Tot jam dulciulis diu vocatam,

Tot jam blandidulis toro dicata,  
Et jam carminibus toro sacra

Actutum tibi sic novi laboris  
Causam difficilem & gravem  
excitasse?

Quam contra nisi sis cito para-  
sus,

Sponse, continuo incitatus astu  
Cadendo bene, fortiter, venuste,  
Cogeris vel inultus hinc abire,  
Vel multaberis ad procul recessus.

Ergo dum pavili tuum est in  
igne

Ferrum, Nominis & tui me-  
mento:

Te ceu iudicio scientiamque  
Magnum, viribus ingeni po-  
tentem

Et per candidulas novem Soro-  
res

Praestantem celebremque reddidisti:  
Sic jam pectore promptus, expe-  
ditus (gitta

Armis, praevallidus manus, sa-  
Praceps, aggreditur velut fero-  
ces

Auctor militiae paratus hostes,  
Cluas, quod Herculeo doles labore  
Quicquid ferricrepam tenet so-  
nore,

Quis-

Quicquid duracidum sapit te-  
murem.

Sic terror crepas acerbitates  
In delensificas suavitates  
Cōvertes, simul & dies in omnes  
Iugalis benè gestit abis hornam  
Pacti, molliculosq; pusiones  
Gradatim benè, sic favete fato,  
Et Ferrò fabricabis incruento.

Nec, mi Sponse, putes, ob istud  
ausum

Sic desiderium viri cluentis  
Tuum divite pramiò carere?  
Intrat Plutus enim petitus illo  
Magnis divitiis, & ampliori  
Censu conspicuus tuos penates.  
Et qui ante hanc dubias locatus  
inter

Spes & ignifluas eras relictus;  
Nunc in anrifuus viges caver  
nis,

Nunc & plus vico simplicis repor-

Virtutis benè retributionem,

Quid nunc molliculi mei  
Phaleuci,

Cum sic non male duplici labore  
Virtutis stadium sit absolutum?

Et Sponso bona Patris omnia  
mur,

Et Sponsa bona Matris augure  
mur,

Et Sponsis bona quaq; grate  
mur,

Sic ajunt faciles mei Phaleuci.

Tandem & cordifluum meū  
petitum

Vestris nominibus datū relinquo

Sic: Sanctam precor auspicio  
nem,

Et faustam benè copulationem,

Et gratam benè conjugatio  
nem!

Salve sic nimium decore sponse!

Salve sic nimium decora Sponsa!

Nuncupatus Honores ergo,  
Honorando Dn. Collegæ suo

â

Valentino Laurentii, V Vitzl. Scholæ  
Conrectore & Collegâ,

B 3

Sic



712  
Sic est mi Cnapi: comitatur ad ore laudis  
Sudorem, vigilemque labor non nescit alumnus  
Eximius cumulare bonis, quod plurima semper  
Ostendunt exempla. Iat est de pluribus unum,  
Quod nobis statuis magnum, doctissime Rector.  
Divino genio, felicitis & indolis ausu  
Et studio studioque tuo, rapidisque veredis  
Celsa tenes summam veram virtutis in arce.

Gloria quo grandis, tranquillaque tempora vitæ.  
Et (quod postremum non est) oculissima conjux  
Parta tibi. Nostros anceps Fortuna labores  
Versat adhuc casusque iubet nescire futuros,  
Bellonam dominante, serente rebellia bella.  
Sed durabo tamen donec revolubilis hora,  
Optatam vice portabis feliciter ævum.

Gratulor interea tibi plus vice simplice tanta  
Munera, supplex & cœlestia numina posco;  
Ut volitet circum niveis concordia pennis  
Inter vos, & verus amor, quem nulla morari  
Styx torrens pice, quem nunquam furialis Enyo  
Contaminare queat, donec divina voluntas  
Immundi mundi pertæsis scandere cælum  
Mandabit, quo latifluis torrenter edundant  
Et scatebris largisque fluunt sacra gaudia rivis.

Volvitur his calidum verso mihi cardine votum:  
Pendus inesse velit voto qui temperat astra.

*Honoris, Amoris &  
Moris ergo faciebat*

*Güntherus Weber Schola Dondorffina Moderator.*

Recto-

**R**ectori sociam thori jugalis  
 Jungunt iam citò *Magdalenam*, Onestrum  
 Ad flumen rapidum inclyti Lycei,  
 Quod Vitzlebiadum propago nutrit.  
 Adstate O Charites, novemq; Musæ!  
 Quas Sponsus teneris secutus annis,  
 Et votis, thalamum, rogate longis,  
 Quò felix ineat; ferax supremi  
 In laudes, sine lite sit cubile,  
 Et sit labe carens, sacer ministres  
 Castas; Spiritus usq; & usq; flammæ.  
 O pulli Cypridos beatiore!  
 Vestris, ceu reliquum corona amica,  
 Nunc congrator amoribus novellis,  
 Et JOVAM Veneror piis susurris  
 Vestros sospitet ut novos amores,  
 Ut feliciter usq; & usq; largas  
 Prægrandosq; sinat videre menses.  
 Plura scribere, candidæ vetantes  
 Jam nolunt Charites novemq; Musæ.  
 O Sponse ergò tuæ diu superstes  
 Vivas, & Dominus diu reserves  
 Rectori sociam thori jugalis.  
 Rectorem sociæ, in thoro jugali  
 Formans ex sociis duobus unum.

*Boni ominis E.  
 fudit*

Fridericus Bartenstetio Scholæ  
 VVitzlebianæ, p. t. Cantor.

Qui



**Q**ui Veneris flammâ deflagrant, hæcq; perire  
Censent, his melior non medicina datur;  
Conjugii spergantur aquâ; quâ stinguere carnis  
Illecebras possunt: solvere se furiis.  
Hoc ipsum Saulus parvo pōst tempore Paulus  
Sponse docet: Satius nubere, quam patier.  
Quod si divinum ducant Hymeneia festa  
Ortum, Divinus Numine Christus adest.  
Ergò vos turbet nunquam fortuna maligna!  
Post fletum, redeant júbila grata, gravem!  
Auxilium vobis tribuat **TERMAXIMUS!** & det  
Vobis sint cuncto, prospera cuncta, die!  
Vobis progenies exurgat Numine eodem  
Quæ vobis senibus gaudia magna feret!  
Non quæ semper alit contraria vota Marito  
Sponse Tibi mulier, sit precor, hæc veniat!  
Thesaurus quæ sit virtutis fœmina honesta  
Jungatur! Sponsæ, sitq; fidelis Amor.

Christophorus Althofer Noricus,  
S Sanctæ Theol. Stud.



**P**lutarchus, tunicâ seposirâ, pia  
Assumit mulier, puniceum decus  
Fœmellæ, ingenuis quam pudor excitat,  
Qui pulcherrimus omnium:  
Perversè Herodorus: Fœmina vestium  
Ornatu posito, quod simul exuat  
Candorem tenerum: dein rabiem **DEÆ**  
Flammæ pro tunicâ induat.

Quis?



Quis? currente rotâ fœmineum genus  
Unâ profiluit? Quis neget omnibus  
Illis digna viro candida pectora?

*Unô non figulô fata.*

**C N A P I**, dimidium nunc animæ tuæ  
Testatur, quoniam, casta, pudoreq;  
Floret Sponsa, hodiè consocias Tibi,  
Nec non quæ facie probâ.

Hinc absq; auxilio, ac absq; operâ **D E I**  
Successu omne caret, quod facimus, vel &  
Conamur; potius nos facie retrò-

*Versâ conspiciunt ea.*

Quarè ne moveant fata sinistra, ne,  
Turbas, Jova creet Massica vina, aquâ  
Ex flavâ! adsidat lætitiis Tuis!

*Præsens sitq; thoro! foro!*

**M. Johan-Gabriel Møller/Alfeldo-  
Noricus. S S. Th. Stud.**

**P**ectorum Custos, thalamiq; Virgo,  
Quæ laborantes stimulis amoris  
Allevas, illisq; adimis cruores

*Mater Amorum.*

Huic meæ Sponsæ Tua puppa jam sit,  
Quam per haud paucos ego lætus annos  
Obtulissem; nî voluère contrâ,

*Sponsa, Parentes,*

*Johan-Paulus Felwinger/Noriberg. Phil. Stud.*

**C**

**Sunt**

**S**unt quos ambitio, vel gloria vexat inanis,  
Illius ut ducta maxima suscipiant.  
Sed me nec tangit, nec ducit gloria laudis,  
Carminè quò Tibi nunc gratuler Aonio.  
Vota, loco versus capias, nam flumine lotus  
Pierio non sum, mente bona veniunt.  
Mutuus indigitatur amor, compassio, morbus,  
Fœmineis necdens fortia corda virûm.  
Passio quæ quamvis sit felicissima, sive  
Antithesi constet, sive cui faveat.  
Hæcce tamen secum fert grandia pondera semper,  
Desinit haud unquam, passio, morbus, amor.  
Sed procul hinc abeat, fugiat procul omne sinistrum:  
Et capiant sedem nomina cuncta boni.  
Esto dies felix, omni quoque tempore faustus,  
Et nova nupta, precor, sit tibi grande decus.

*Singularis observantia causa,*

*Dno Sponso (Musa alienâ) gratulatur cordicis*

**Johannes Matthias Hübner / Noribergens.**

**F**Austa dies oritur, lateri quâ jungitur uxor,  
*Nymfe, tuo, donis Nymfa decora Tibi.*  
Lætor, & his tædis mea vota jugalibus addo:  
*Cordis amor maneat: Sorsis amavor eas.*

*Debita observans:*

*faustâq; adclamacionis ergo properiter adposui*

**Enochus Himmelius.**

**Nomina**

**N**omina si (vulgò) verè sunt consona rebus,  
 Omina siq; bonum scæva vocamen habet:  
 Engestat notum Germanis, C N A P E Magister,  
 Nomen, quod Comem, signaq; comta notat:  
 Engestat nomen, gestat quoq; nominis Omen,  
 Dum Sponsam nimio deperit igne suam,  
 Taliter & Sponsam decorant his congrua, FERRI  
 Naturam firmus dum sibi jungit amor.  
 Qui, precor, ætatem constans vestra obseret ignis  
 Pectora, ceu claudit ferrea vincla sera:  
 Exulet ira, furor, lites, & jurgia, rixæ,  
 Absint à thalamo noxia damna precor.  
 Hæc precor, hæc voveo, sint hæc mea vota secunda  
 Suppliciter posco Numina sacra DEI.

*Amoris & Gratitude ergo misit Jenâ*

*Tobias Seidenfrost, Neomarchico-Misn.*

**M**irabar quidnam, dum torpet frigore, cœlum,  
 Tentares socio subdere colla jugo.  
 Causa latebat enim, glacialis frigora Brumæ  
 Si subsunt, merito frigora scæva times.  
 Atq; paras calidam tibi foedere jungere Sponsam,  
 Callida quæ thalami strata fovere queat.  
 Gratulor hinc ergo, Deus hæc tua cæpta secundet,  
 Ut possis natis multiplicare domum.

*Bona scæva ergo adponebat*

*Johannes Müllerus Allstet. Alumnus*

C 1

Dic


**D**ic mihi Sponse, tuus quotiens se proripit ignis,  
Quid tibi mentis inest? quas versas pectore curas?  
Sic ego: Sic Sponsus: solam sine compare vitam  
Vivere, nil aliud quam vivere more ferarum est:  
Marcescit vigor ingenii, geniiq; voluptas,  
Tristeq; cordolium mordaci verbere pulsat:  
Mens stupet & dubias errat ceu nauta per undas,  
Cynthia cui vultus atrato obnubit amictu.  
At postquam mea stella suum jubar exerit, & me  
Adspectat, tenebras, curarum tristia pellit.  
Hæc optata mihi Cynosura, hæc prospera Aridna:  
Hæc mihi dum splendet, mihi splendet ut æmula Lunæ  
Noctû nempe Pharos cum lumina promit ab ore.  
Quam juvat immensum vitæ dare vela per æquor,  
Talis si faculas mihi ventilat igne coruscas,  
Index & monstrat latrantia littora Scyllæ,  
Et Ponti tumidis tranquillat fluctibus undas:  
Quam juvat amplexus Venerisq; pericla subire,  
Et sua turgidulis infigere labra labellis.  
Hæc Sponsus: sed cur in Sponso Sponsa moratur?  
An favet his dictis? & presso pollice laudat?  
Parcite Pierides Sponsam signare rubore:  
Si tacito nutu ista probat, sua ritè peregit.  
Ite animæ unanimes, vos ducens Cypris in altos  
Idaliæ lucos adspersit nectaris imbre:  
Ipsa placens sternit genialem Gratia lectum,  
Antevolat genialis Hymen, Venerisq; puellus,  
Ardentes faculas quatunt, plauduntq; choreas.  
Tinnula melliflua cantillant carmina voce.

Quid

Quid loquar, ut cœli vos indulgentia servet,  
Nemo ratem ut lecti solvat nisi mortis imago.

*Declaranda observantia ergo fac.*

**Christianus Leisnerus, Rebling, Alumn.**



**M**aximè gemmas micat inter omnes  
Decolor Magnes, uti phœbus inter  
Ætheris campos, velut inter ignes  
Luna minores:

**A**ut quod ignotum trahit hic metallum  
Spontè; seu ferro miserè negato  
Interit; seu cum recreatur altâ  
Illius aurâ

**G**naviter, ferrum trepidare concors  
Assolet: Cur non magis & puellam,  
Quæ viri possit tolerare pondus,  
Gemma figurat?

**N**onnè delirans properabit ætas,  
Nemo si curat lachrymas virorum  
Ejus, aut votis, puerorum, amicas  
Applicat aures?

**E**rgo dum grata illius ora labris  
Cypriæ certant, sociare (*quis scit,*  
*Quid velis?*) defert; rapidânè flammâ  
Attrahet illum?

C 3

Spiri-



Spiritus quos nec rapidæ Chimææ,  
Nec ferox unquam separabit Atlas,  
Flammeum semper benè sic utrumq;  
Congruit astrum.

*Honoris ergò adponebat*

*Urbanus Grunica Tornavi-Misnicus, Alumnus.*

Iam Venus emisso Cytheræa cupidine gnato,  
Egregias laudes & spolia ampla refert.  
Nam puer instructus pharetrâ, jaculatur; in hærent  
Retractâ, lateri spicula fixa, manu.  
Immanis Divorum & inobservata duorum  
Virtus, mox flammæ corde in utroq; movet.  
Corde movet flammæ, concors coguntur inire  
Certamen: tangit sic Venus alma scopum.  
CNAPIUS hinc miles certaminis extat: amicam  
Præsentem, cum quâ certet, adesse videt.  
Militat: aspectus conceditur: atq; secunda  
Linea: nec dextræ non datur ipsa manus.  
Nec satis esse putat: sed certat, ut imbuat illum  
Nectaris ipsa sui parte sequente Venus.  
Nunc demum reliquâ (resonet victoria;) victâ,  
Undiq; victori, parte, triumphus ovet.  
Gratulor, ut valeat certare diutius arcu  
Intento, atq; ferat digna trophæa, precor.


*Debita observ. & congrat. gratia adjiciebat,*

*Christophorus Faschius, Farnstetensis, Alumnus.*

Ne

**N**E fundum alacrius sulcemus, nevé rigemus  
 Dat Numen proprium, qui subigendus, a-  
 Et quem (Musa tace, velis obscæna silenti (grum,  
 Involvas) seu sol, sive Diana micat.  
 Assiduo quicumq; suum renovabit aratro  
 Fœcundum faciet nobile sumen humi,  
 Et te virgineo non enarrabile Numen  
 Condonat fundo, quem benè tute colas,  
 Fundus ut exsinuet procero corpore spicas,  
 Quæ caput atq; pedes mēbra manusq; gerant.

*Maximilianus Reinmannus. Isleb. Sax. Alumnus.*



**T**urba novenarum hūc dignare venire sororum,  
 Gaudia sunt nubtis concelebranda novis.  
 Gaudia si quæris? sitienti voce petita  
 Quondam, nunc nitido prodit ab axe dies.  
 Quo Roslebiadum Mystæ nata unica, Sponsa  
 Ludi Rectoris ducitur in thalamos.  
 Ergo faveto mihi, quæ dictas carmina sacris  
 Vatibus, & dicta carmina pauca mihi.  
 Carmina queis Sponsi & Sponsæ congratuler ausis,  
 Applaudensq; feram vota precesq; DEO.  
 Grator ob hoc igitur de pulcra virgine Sponso,  
 De Sponso pariter blandula virgo tibi.  
 Vivite concordēs stabilis sub fœdere lecti  
 Sponse para Sponsam semper amare tuam.  
 Vivite concordēs, sie vult connubia jungens,  
 Sponsa para Sponsum semper amare tuum.

Sic



Sic vobis tristis Parcarum turbula, rumpi  
Innumeris seclis nescia fila neant.

*Casparus Groschius, Nurnsdorff. Alumnus.*



**Q**uid primum precor & precor secundum  
Qui ne sum numerus quidem ultimus sed,  
Nulli fore è nisi omnibus secundus?

Tu, quem Suada, Venus, Charis, Thalia,

Musarumq; chorus suaviore

Aspirat facie, latina Siren,

Depromas JOACHIME gratiofo

Ex cordis myrothecio suavis

Quod primum precor & precor secundum.

Te nemo melius secunda dicet

Venâ non remorante, vota Sponso,

Carmen tu poteris, fac ergo carmen

Nos carnem petimus, caro negetur,

Sponso chara caro, daturq; costa

Casto, sed cutis, Ossa, nos morantur

Te contra cutis ima & os meretur.

Ergo quid precor & precor secundum,

Os Sponsum faciat labella totum,

Os Sponsam faciat labella totam,

Et labrum è labiis duobus unum.

Hoc primum precor & precor secundum

Qui ne sum numerus quidem, ultimus sed,

Et doctis facile omnibus secundus.

*Georgius Heinrichi, Laublingensis Saxo, Alumnus.*

Huc



**H**uc ades adjungens tacitis præcordia flammis  
 Hymen ad thalami socialis sacra vocatus,  
 Huc ades, huc niveo redimitus tempora sereno,  
 In dextrâ claro splendet lumine cæda.  
 Te sine legitimi sunt irrita vincula lecti,  
 Te sine marcescit Phætrati Mater Amoris.  
 Tu nostris Sponsis flagrantibus insere flammam  
 Da connexa tuo fervere pectora motu,  
 Da prius incipiant turres vitare columbæ,  
 Antra feræ, pecudes herbas, & nullulus undas,  
 Suavia quam socii solvantur fœdera lecti.  
 Esto ferax thalamus concors, ceu frugifer hortus  
 Mille sinu gravido viridantia gramina promit:  
 Taliter ingenuos nostos Junone secundâ  
 Blandula depromat socialis germina lectus,  
 Vivite, quod superest, felices, vivite longum,  
 Sponsus ut exuperet Pylios ætate capillos,  
 Sponsa Sibyllinos traducat molliter annos.  
 Hæcce novis opto sincero pectore Sponsis,  
 Auffugiat votis ingrata repulsa peractis.

*Christophorus Loischerus Rebling. Alumnus.*



**Q**uid tuba rancisonis quatien s stridoribus auras?  
 Quid sibi jaectantes jubila læta volunt?  
 Fallor? blandiduli Veneris celebrantur honores,  
 Ventilat ecce novas pronuba Juno faces.  
 Hymen Hereuleis conjungens pectora vinculis,  
 Conjugio vultu lucidiore fave.  
 Involes in thalamum niveis concordia pennis,  
 Non Eris interimat litigiosa jugum.

D Tem-



Tempora laetificæ extendant longæva sorores,  
Nil nocitura queat Parca valere manu.

Tu quoq; connubii præses Germana Tonantis,  
Splendescat multâ, fac rogo, prole torus.

Hæc mea cardinibus rigidis affixa Vacuna  
Murcida Musalitat. FACTATA VOTA DEUS.

Christianus Zipserus V Viderici-  
Milsn. Alumnus.

**O** Decies quæsitæ dies! Clarissime Rector,  
Quâ Madalena tibi blandula Nympha datur.

Moribus ornata, ac præstanti corporis aucta  
Formâ, barbaricæ nil feritatis habens.

Cuique Venus rutilis residens colludit ocellis,  
Blandaq; blandidulo splendet ab ore Charis.

Gratulor ergo tibi de Sponsâ, Sponse, venustâ,  
Hanc constanter ames, hanc lateri socies.

Hæc tibi suavis erit requies & blanda voluptas,  
Hæc tibi sorte malâ dulce levamen erit.

**O D E U S** omnipotens, sacri ordinis autor & auctor

Effice, sint socii fœdera fausta tori.

Vivite felices ambo sic vivere digni,

Et facili vestrum ferte labore jugum.

Auspiciusq; Diis peragendos molliter annos,

Illa Sibyllinos, Nestoris ille ferat.

Tanta precor vobis toto de pectore, firma

Sint mea vota, **D E U S** faxit in axe poli.

Christophorus Lippachius, Buchananus, Alumnus.

Dulcior

**D**ulcior haud unquam nova vox pervenit ad aures  
 Tam menti portans gaudia grata mea.  
 Quam tua qua verulit convubia, Clave Magister:  
 Fæderate socii sacra iniisse thori.  
 Nam tibi junxisti stabilis fœdere, qua sis  
 Penelopeq; colo, Sulpitia atq; tholo.  
 Gratulor ergo tibi, capias ex conjugē natos,  
 Et precor ut proles sit sine fine tua.  
 Tandem felices animis concordibus ambo  
 Vivite, longævos & superate dies.

Theodorus Cittenius Wantzleb. Alumnus.

**E**la dic dulcis mihi dulcis eja  
**L** Musa dic, quidnam superet nitorem  
 Bractææ, seu quid pretiosius sis  
 Iaspide Eoâ?  
 Hisce nimirum melior virago  
 Moribus cultis decorata, casta  
 Quæ tenet, vitâ remanente, honesti  
 Signa pudoris.  
 Quæ colit Ihovæ veneranda iussa,  
 Et fibris cordis retinet reposta,  
 Quæ studet semper placuisse suavi  
 Ritè marito,  
 Blanda cui blandis residens ocellis  
 Sæpe colludit Dionæa mater,  
 Instar & Solis variis refulgens


Undiq; donis, D 2 O ni-



O nimis felix, nimium beatus!  
Cui D E U S talem sociat puellam,  
Hæc Onyx, hæc spes, requies, voluptas  
Sorte malignâ.

Ergo de tali tibi, Sponse, Sponsâ  
Gratulor, cujus diadema sanus  
Est pudor, vera & pietas: vigentes  
Ite per annos.

Jacobus Schillingius Falcoberga-  
Misnicus Alumnus.



COR Salomonis ait: cubitans sine compare vires  
Frigoris hyberni frangere nocte nequit.  
Hic Rhodus, hic salta, viridi tibi flore puella  
Jungitur, hac frigus pellere nocte potes.  
Ante alias flammæ Veneris superæstuat ignis,  
Quem sublimi aurâ ventilat ipse D E U S.  
Vestræ ne quondam defint alimenta favillæ,  
Provideat rerum spes, via, vita, salus.

Valentinus Gemmerhirt VVan-  
genheimensis, Alumnus.

Euge, Jô Pæan! adamate Sponsæ  
Sponse, pol non quod reperisse clamant  
In fabâ infantes, tibi se sub istâ  
Obtulit horâ,

Nam

Nam venit vultum decorata virgo,  
Cujus ex blandis roseum labellis  
Sacchar, & dulcis fluit è rotundis  
Humor ocellis.


Fronte porrectâ tribuis cui nunc  
Basium, totum madefecit alma  
Quod sui quinta Venus ipsa parte  
Nectaris aptè,

O pium factum, placitumq; Jhovæ!  
Quale ne lædat solitâ subindè  
Lite collæctans Eris; appetente  
Corde precamur,

Quin stet attentâ potius ligatum  
Copulâ, quam nectit amor, manet qui,  
Nec suas vertit citiùs supremo  
Lumine pennas.

Sentiat nec non sobolem, priusquam  
Finiet gyro peragendus anni,  
Quæ tibi Comus foret, atq; Sponsæ  
Ludet in ulnis.

*Samuel Sewff, Alumnus.*



**Q**uicquid ubiq; boni DEUS efficit Unus, & Unus  
servat & amplificat, quicquid ubiq; boni.




Sospitat ille chorum, venerandaq; limina Divum,  
Sospitat ille forum, sospitat ille torum.  
Ille tibi nuper ludum commisit: honorem  
Gratulor, ut sacri grande laboris onus.  
Jam sponsam JOACHIME novam tibi jungit, amorem  
Gratulor, & thalami gaudia mille precor,  
Æternamq; fidem, pacemq; focumq; perennem,  
Et medicâ nunquam pharmaca mixta manu.  
Hæc mea vota. (in vos veniat benedictio tanta,  
Quanta Jacobigenis est data,) sintq; rata.  
Semine de vestro capira & det cernere multa,  
Nosq; beet ducens ad sua regna, DEUS.

*Nicolaus John, Buttelsadius, Alumnus.*

**F I N I S.**











NUPTIIS FES

CLARISSIA

Dn. M. JOA

CNA

Brandenburgensis Marchio  
quæ est stemmatis VV  
dignissimi in S

*Pudicissime Lectiss*

MARIÆ MA

*Viri Reverendi, Humaniss*

Dn. PETRI ZINC

Roslebiensis meri

*Celebratis die 25. Janu*

SACR



1918  
ISLEBII, Typis LA

\*L Knappe, Universitäts  
Val. Laurentianus]



X 2054929

508.

